



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XXXIII. Gregorii Papae I. Ad Dynamivm Patricivm Galliarvm.
Quadringentos solidos de redditibus ecclesiae Romanae se accepisse
significat. mittit crucem sacris reliquiis refertam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

Deo auctore præsidemus, ecclesiæ, instanter iniunximus, ut si quidem in his ecclesiasticas inuenerit immixtas esse personas, cum summa causas ipsas distriictione atque auctoritate diffiniat. Sin autem cum talibus res agitur, in quas ecclesiasticae vigor non possit iurisdictionis extendi, de singulis quibusque capitulis probationes inter publica gesta depositas ad nos absque vlla dilatione transmittat, ut instructi subtiliter sciamus quid de his debeamus, Christo auxiliante, disponere.

EPISTOLA XXXIII.

GREGORII PAPÆ I.

AD DYNAMIVM PATRICIVM GALLIARVM.

Quadringentos solidos de redditibus ecclesiæ Romanæ
se accepisse significat. mittit crucem sacris
reliquiis refertam.

Gregorius' Dynamio patricio Galliarum, &c.

MONSTRAT quam bene dispenset propria, qui fideliter administrat aliena. Quod vestra nobis gloria ostendit, quæ perenni muneri intenta, beato Petro apostolorum principi suorum reddituum fructus intulit: cui dum sua fideliter impenditis, hæc apud eum munera vestra fecistis. Sic quippe agere huius terræ gloriofos de æterna gloria cogitantes decet, ut in eo quod temporali præualent, mercedem sibi non temporalem parent. Proinde debitum salutationis alloquium persoluentes, omnipotentem Dominum deprecamur, ut vitam vestram, & bonis præsentibus replete, & ad sublimia gaudia æternitatis extendat. Suscepimus namque per Hilarium filium nostrum de præfatis ecclesiæ nostræ redditibus Gallicanis solidos quadrungentos. Transmisimus autem beati Petri apostoli benedictionem, crucem parvulam, cui de catenis eius beneficia sunt inserta. Quæ illius quidem ad tempus ligauerunt, sed vestra colla in perpetuum a peccatis soluant. Per quatuor vero in circuitu partes, de beati Laurentii craticula, in qua perustus est, beneficia continentur; ut hoc ubi corpus illius pro veritate creatum est, vestram mentem ad amorem Domini accendat.

Concil. Tom. 13.

Q q

NOTA IACOBI SIRMONDI
SOCIETATIS IESV.

¹ *Dynamio patricio.*] Illi opinor qui ante annos decem Massiliensis prouinciae rector fuerat sub Guntramno, & Theodorum episcopum multis modis vexarat, ut refert Gregorius Turonensis libro 6. cap. ii. Extant & Fortunati ad eumdem Dynamium Massiliensem versus lib. 6.

EPISTOLA XXXIV.

GREGORII PAPÆ I.
AD PETRVM SVBDIACONVM.

De Festo episcopo a ciuibus suis contempto.

Gregorius Petro subdiacono Campaniae.

QVERITVR Festus frater & coepiscopus noster a suis se clericis ac ciuibus despici atque contemni. Pro qua re experientia tuae præcipimus, vt tranquilla eos adhortatione conuenias, quatenus sedatis, si quæ forte odiorum causæ sunt, mutua eos & Deo placita caritate conciliess: vt & ille quod filii de cet impendat, & illi quod patri oportet exhibeant. Si quæ vero alia causæ sunt, prædicto episcopo te impendere præcipimus, salua tamen iustitia & æquitate, solatum.

Mense Maio, indictione undecima.

EPISTOLA XXXV.

GREGORII PAPÆ I.
AD EVMDEM.

Vt ad eligendum Neapolitanæ ciuitatis episcopum aliquos ex clero Romam transmittat.

Gregorius Petro subdiacono Campaniae.

SÆPIVS a vobis Paulus frater & coepiscopus noster expetiit, vt eum ad propriam reuerti faceremus ecclesiam. Quod quia rationabile esse perspeximus, eius petitionem necessario duximus adimplendam. Proinde experientia tua clerum ecclesiæ Neapolitanæ conueniat, quatenus duos vel tres de suis eligere & huc ad eligendum episcopum transmittere non omittant. Sed & sua nobis rela-